



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1690

§. VII. De Simonia confidantiali, sive quæ committitur in resignationibus, & provisionibus beneficiorum, spe & confidentiâ factis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

nam tantum tuam v. g. conservare, & injustas præcisè machinationes contra te impedire velle, censendus esses.

§. VII.

De Simonia confidentiali, sive qua committitur in resignationibus, & provisionibus beneficiorum. spe & confidentià factis.

Simonia confidentialis est certa species Simoniæ, ab alijs distincta, à spe & fiducia, quæ ei subest, sic dicta, & jure humano positivo inducta, à Summis Pontificibus Pio IV. & V. in materia beneficiorum, quæ tum committitur, cum quis procurat alicui beneficium Ecclesiasticum, cum certa confidentià, ex pacto scilicet expresso, vel tacito, quod postmodum hoc ipsum beneficium sit ipsi procuranti, vel alteri, cui voluerit procurans, cessurus, aut pensionem aliquam, sive fructus ex eo præstiturus. Potest autem talis in beneficijs Simonia confidentialis triplici adhuc modo committi. Primò per accessum, quando quis beneficium resignat, aut procurat alteri, ut obtineat illud, dum alter, cui beneficium hoc collatum vellet, ob defectum ætatis, aut alterius impedimenti Canonici, cujus modò capax non est, ætatem requisitam acquirit, aut impedimentum amoveretur, ita ut hic inhabilis modò postmodum jus habeat, propriâ auctoritate beneficium illud accipiendi. Secundò per regressum, quando quis beneficium, quod modò possidet, cedit alteri, eâ tamen conditione, ut sibi reservarum velit jus ad illud redeundi, si ille, cui cessio facta est, præmoriatur v. g.

Tertiò per ingressum, ut cum quis beneficium sibi collatum, nondum tamen possessum, renuntiat alteri, eâ tamen conditione, & pacto, ut jus habeat illius beneficii possessionem ingrediendi, & capiendi, si alter huic beneficio cedere debeat. In quibus casibus, si quis jus ad tale beneficium accedendi, regrediendi, aut ingrediendi, sine expressa licentiâ Papæ sibi reservat, Simoniam committit confidentialem, ita ut non tantum invalida sit collatio, seu resignatio talis beneficii, in quo commissa est talis Simonia, sed Simoniacus confidentialis priveretur (post sententiam Iudicis) omnibus beneficiis & pensionibus prius obtentis, & ad quævis alia beneficia obtinenda inhabilis sit.

§. VIII.

De Simonia, qua committitur in pensionibus solvendis ex bonis Ecclesiasticis.

Sunt aliquæ pensiones, quæ ex bonis quidem Ecclesiasticis eximuntur, & Laicis propter ministerium aliquod temporale, vel propter aliam justam causam conceduntur, has tamen, cum spirituale nihil contineant, emere vel vendere, nulla Simonia est. Quæ verò Clericis nunquam solvuntur, ob spiritualia quædam ministeria, ab his præstanda, Capellani v. g. aut chori Vicariis, &c. sine Simonia pro pretio temporali vendi, aut emi non possunt, cum fundentur in spirituali obligatione, non minus, ac alia beneficia. Illæ autem, quæ Clericis quidem, quæ talibus, solvuntur, non tamen ob spirituale ministerium, sed ob aliam causam